

*sint Viri, quos a tanto retro tempore suspensos tenuerit logomachia, dilucidius erat edifferendum. Sane si Viri vere sapientes fuerunt, probe viderunt, logomachiam non esse, quod in hoc etiam fidei capite tractatur, & secundum species a WERENFELSIO in Diss. de logomachiis eruditorum, neque ad puras neque ad mixtas referri posse. Hinc etiam non mirum, quod Viri illi sapientes strenue in hac controversia decertaverint, & gloriam Jesu Christi, quam Scriptura ipsius Humanitati tribuit, cultumque debitum, defenderint. Qua in re uti sapientis, ita boni sanctique Theologi officia eos expedivisse, grata agnoscit posteritas, & ob depositum fidei probe servatum, nomina illorum Dei servorum fidelium grata sibi habet & recolit, detestatur vero omnes, quotquot aut impetu ingenii novaturientis, aut levitate animi, aut ignorantia tantae rei, aut temporalibus emolumentis, aut aliis quibuscunque causis allecti vel veritatem, vel pondus hujus Articuli illis tradiderint, adversus quorum insultus potius mascule, tanquam milites Jesu Christi, decebat pugnare. Vnde etiam non capimus, quare Autor Alloquii dicat, in suspenso animos Virorum sapientum fuisse detentos per hanc logomachiam. Si enim fuerunt sapientes, potuerunt haud difficulter aurum a luto separare, & videre, quid lux a tenebris distet. Commemorari sane vel unus ex genuinis Promachis Ecclesiae nostrae debebat, qui incertus fuerit, quid ageret, ubi pro veritate erat decertandum, aut qui in hac controversia disputaturus cessaverit, vel haeserit, vel adversariis aliquid, per silentium aut formidinem oppositi, dederit. Miramur oppido, tanta mentis confidentia de Doctoribus pronunciarum, quorum memoria semper merebatur esse in veneratione, & quorum cineres ob insignia merita dignicare haberi, ac si stupidi adeo fuissent, ut non animadvertere potuissent viam perversissimam pacis ineundae per ΤΑΥΤΟΤΗΤΑ unionis personalis & communicationis idiomatum; cum tamen hanc fidei partem spissis adeo voluminibus interdum, decertando cum adversariis, pertractaverint.*

§. II.